BIBLIA LATINA, BD. 2
Salzburg (?), 2. Viertel 14. Jh. Seite 80r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=46681
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



et iudicia mea non fecistis. Sed et
iuxta iudicia gentium que in cir
cuitu uestro sunt non estis operati. I
deo hec dicit dominus deus. Ecce
ego ad te et ipse ego faciam in medio
tui iudicia in oculis gentium et fa
ciam in te que non feci et quibus similia
ultra non faciam propter omnes
abhominationes tuas. Ideo patres
comedent filios suos in medio tui
et filii comedent patres suos. Et fa
ciam in te iudicia et uentilabo omnes
reliquias tuas in omnem uentum
Idcirco uiuo ego dicit dominus deus
nisi pro eo quod sanctum meum uio
lasti in omnibus offensionibus tuis
et in omnibus abhominationibus
tuis. Ego quoque confringam et non
parcet oculus meus et non miserebor
Tercia pars tui peste morietur et
fame consumetur in medio tui et
tercia pars tui cadet gladio in circu
cuitu tuo. terciam uero partem tuam
in omnem uentum dispergam et gla
dium euaginabo post eos et comple
am furorem meum et requiescere
faciam indignationem meam in eis
et consolabor. Et scient quia ego do
minus locutus sum in zelo meo.
Cum implenero indignationem
meam in eis et dabo te in desertum
et in opprobrium gentibus que in
circuitu tuo sunt in conspectu om
nis preterientis. Et eris opprobrium
et blasphemia et exemplum et stu
por in gentibus que in circuitu tuo
sunt. cum fecero in te iudicia in fu
rore et in indignatione et in increpa

tionibus ire. ego dominus locutus
sum. quando misero sagittas fa
mis pessimas in eos que erunt et
mortifere et quas mittam ut disper
dam uos et famem congregabo super
uos et conteram in uobis baculum
panis et immittam in uos famem
et bestias pessimas usque ad interemp
tionem et pestilencia et sanguis trans
sibunt per te et gladium inducam
super te. Ego dominus locutus sum.

VI

Et factum est
uerbum domini ad me
dicens. fili hominis pone
faciem tuam ad montes israel et pro
phetabis ad eos et dices. Montes
israel audite uerbum domini dei. Hec
dicit dominus deus montibus et
collibus. rupibus et uallibus. Ecce
ego inducam super uos gladium
et dispergam excelsa uestra et demo
liar aras uestras et confringentur
simulachra uestra et deiciam inter
fectos uestros ante ydola uestra
et dabo cadauera filiorum israel ante
faciem simulachrorum uestrorum
et dispergam ossa uestra circum aras
uestras. In omnibus habitationibus
uestris urbes deserte erunt excel
sa demolientur et dissipabuntur
et interibunt. Are uestre confrin
gentur et cessabunt ydola uestra
et conterentur delubra uestra et dele
buntur opera uestra et cadet interfec
tus in medio uestri et scietis quia
ego dominus sum. Et relinquam
in uobis eos qui fugerint gladium
in gentibus cum dispersero in terras.

80

Ezechiel